

HVLDRICVS THEOBALDV A SCHAVVENBURG.



HVldricus Theobaldus ex nobili familia Scha
huuenburgiorum in Alsatia natus est, anno cir
citer 1532. hic à pueris bonis literis incubuit, atq; pri
ma rudimenta facile percepit. Inde uero ut maiore
rerum notitiam acquireret, à parētibus in Galliam
atq; Hispaniam missus fuit. In ijs locis per aliquot
annos sub præceptoribus uixit, atq; linguarum &
artium præclarum sibi usum comparauit. Postea in
patriam redijt, atq; in superiori Alsatia Lungholtzij
habitare coepit. Erat is magna prudentia & uite in
tegritate conspicuus, præterea armis tractandis pe
ritus. Itaq; in ijs partibus breui magnam authorita
tem nactus, suis uirtutibus patriæ atq; nobilitati or
namento existit. Id quod multi præclari viri paſſim de ipſo prædicant. Hac
ratione Huldricus Theobaldus etiamnum pergit, atq; non tantum suis sub
ditis, uerū etiam cunctis uicinis omnis generis honesta officia exhibet, ut
non dubium sit, huius viri laudes quandoque etiam ad exterias nationes per
uenturas.lo.H.